



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 67. Decretum de electionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. de dissolvenda vel transferenda Synodo  
A. C. 1433 revocaret.

## §. LXVI.

*Decretum citationis adversus Eugenium Papam.*

*Ibi l. p. 509.* Ergo citationis decretum promulgant, sed verbis admodum acerbis conceptum; in eo quippe Papam convitiantur velut *incorrigibilem, Virum scandalizantem Ecclesiam*, illumque ab omni ipsius *Papatus administratione suspensum* declarant, prohibentque, ne fideles Eugenio ullatenus ratione *Papatus* obediant, denique omnibus illius *Prælati* præcipiunt, ut *Synodum* accedant.

## §. LXVII.

*Decretum de electionibus.*

*Ibi l. p. 513.* In eadem Sessione Synodus aliud condidit decretum, quo renovat jus electionum ab Apostolis fundatum, & a primo Concilio Nicæno in quarto & quinto Canone confirmatum. Hoc decreto sancitum est. I. *Generalis reservatio omnium Ecclesiarum, Metropolitanarum, Cathedralium, Coilegiatarum, Monasteriorum, ac dignitatum electivarum per Romanum Pontificem de cætero fieri non debeat reservationibus in corpore juris clausis, & his, quas in*  
terris

*terris Romanæ Ecclesiæ subiectis fieri conti-*  
*gerit, semper exceptis, sed per electiones debi-*  
*te provideatur, non derogando propterea sta-*  
*tutis, privilegiis, & consuetudinibus in dispo-*  
*sitione juris communis remanentibus. II. In-*  
*ter alia, quæ Romanus Pontifex in sua as-*  
*sumptione profitebitur, juret hoc decretum in-*  
*violabiliter observare. III. Hi, ad quos jus*  
*pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut*  
*dignam coram Deo & hominibus electionem*  
*faciant, exactamque apponant sollicitudinem,*  
*ut tales eligant, qui tanto officio valeant sa-*  
*tisfacere, & ne in re tam gravi negligenter se*  
*gesserint, hi ad quos ejusmodi electio spectat,*  
*adveniente die in Ecclesia conveniant, magna*  
*cum devotione Missam de Spiritu Sancto au-*  
*dituri, contriti & confessi sacramentum Eu-*  
*charistiæ reverenter suscipiant, ut eo facilius*  
*gratiam divinæ inspirationis obtinere merean-*  
*tur ad dignum eligendum Pastorem. Ad lo-*  
*cum vero electionis ingressi, jurabunt in mani-*  
*bis ejus, qui Capitulo præsidebit, & ipse Præ-*  
*sidens in manibus eum immediate sequentis,*  
*eum eligere, quem credent futurum Ecclesiæ,*  
*vel Episcopali, vel Abbatiali, utiliorem,*  
*nec illi vocem dare, quem verisimiliter scive-*  
*rint promissione, aut ratione alicujus rei tem-*  
*poralis, seu prece per se aut alium interposi-*  
*ta, pro se electionem procurare. Hujus au-*  
*tem juramenti formulam Synodus præ-*  
*scribit. IV. Eligant virum ætatis legitimæ,*  
*moribus gravem, literarum scientia prædi-*

Sæcul. XV.

A. C. 1433.

Conc. Labbe  
 tom. 12. sess.  
 XII. Conc.  
 Basil. decret.  
 tum de elect.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

tum, in sacris ordinibus constitutum, & aliam idoneum. Quod si aliter, aut per Simoniacam pravitatem electionem fieri contigerit, electio sit ipso jure irrita & inanis, & sic simoniacum eligentes, perpetuo sint ipso facto jure eligendi privati. V. Tandem Patres adhortantur Principes, communitates, & alios, cujuscunque gradus & dignitatis existant, ne electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se, vel per alium tales preces, seu literas procurabit, multoque minus comminationes, impressiones, at aliud faciant, quo minus libere ad electionem proceedatur.

§. LXVIII.

*Epistola Eugenii ad Patres Synodi.*

Eugenius hæc decreta, præsentis Sessione condita, præcipue primum, summa indignatione excepit, cumque jam antea graviter a Synodi Patribus offensus esset, quod illi paulo ante Legatos, quibus de Synodo Bononiam transferenda cum Basileensibus agere præceperat, recipere, ac audire recusassent, ideo die vigesima nona Julii Constitutionem edidit, qua omnes citationes, judicii acta, & decreta Basileæ contra se, contra Sacram Sedem, & contra Cardinales hucusque condita, ac quæcunque imposterum condenda, omnino irrita ac nulla declaravit, exceptis